EXERCITATIO JURIDICA
De
JURE HORTORUM,

QUAM

OPITULANTE DIVINA

GRATIA

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo & Excellentissimo

DN. ANTON-HENRICO MOLLENBECIO,

JCto & in Illustri hac Ludoviciana Professore Ordinario

Patrono suo observandissimo.


Publicè defendendam suscipiet

FRANCISCUS JOANNES WETZEL,

Bruxellensis Belga. Aut. & Resp.

Die 4. Octobris.

Horá locoq; consuetis.





Giessæ-Hassorum.

Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Academ. Typogr.. Ordin. ANNO M DC LXX.

ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO DOMINO,

Dn. JOANNI CHRISTIANO

LIBERO BARONI A BOINENBURG,

Sac. Rom. Imp. Equiti Aurato. &c.

Domino meo gratiosissimo.

Illustrissime & Generosissime Baro,

Domine Gratiosissime.



Vamvis, monente diverbio veteri, quod habet, Magnos Magna decent, *materiam sublimiorem eligere, meum fuisset, cui* Illustrissimum Nomen Tuum *eò liberius præponerem. Attamen, cùm* Tibi *vix ignotum esse posit, necdum eas esse ingenii mei vires, ut aliquid* Dignitate Tuâ *dignum, in lucem dare publicam queant, & me non la-*

teat,

teat, Te *palàm & paßim quà ſtudiorum , quà ſtudentium* Mæcenatem & Patronum benigniſſimum *audire, facilius mihi polliceor , à* Te *ſpecimen hoc , quantumvis humile & perexiguum, progreßûs mei in ſtudio juris annui* Tibi *inſcriptum , gratioſißimo vultu reſpectum iri : maximè, cùm, quidquid hujus eſt, omne è monte illo ſacratißimo, TABORE, ſit derivatum. Quod ſi, ut ſubmißißimè rogo ,ita ſuſcipiatur, tantò magis mihi gratulabor , ne quidem tenuißima mea ingrata* Tibi *eſſe. Sed meliora tempus dabit. Scrib. Gieſſæ-Haſſorum 4. Octobris* 1670.

Illuſtrisſimæ & Generoſisſimæ
Dominationis Tuæ

Humillimus ac devotisſimus
cliens & ſervus

Franciſcus Joannes Wetzel.

I. N. D.



I. N. D. B. Q. D. G.

THES. I.



Rustra in universitatibus, scribit Dietherrus in præfat. ad Besoldi thesaurum practicum, *Studiosi in perorando & disputando conqueruntur, omnes materias sibi esse prareptas, cùm vel mille supersint leviter adhuc ab aliis pertractata, & quasi indicta ore alio.* Volenti igitur mihi specimen profectûs annui in studio juris in publicū dare, & deliberanti de materiâ pertractandâ, arrisit prę aliis illa de Jure Hortorum, quā pro curta ingenii suppellectile paucis examinabo; maximè cùm, si excipias scriptores exotericos, qui in tractatibus suis incidenter de Hortis quædam inspersêre, & Johannem Tobiam Geislerum, cujus extat libellus Dorpati impressus de Hortis, vix commentatio juridica integra, vel in Tractatu Tractatuum, vel in Indice Coccini, vel in Bibliotheca Drauthii, vel in tomis regularum, vel in Thesauris Besoldi, Speidelii, & similium collectorum, aut titulus hujus rei appareat; multò minus

apud Reygerum vel alios L. C. concinnatores. Licet enim Cæpolla *in tr. de servit. Vrb. præd. integrum cap. 76. de* Horto conscripserit: ad quod plerosque in hac materia recurrere scribit *Felinus Sandeus ad cap. Rodulphus. 35. de rescript. n. 22.* Paucula tamen ea sunt, ut lectorem parùm erudiant aut juvent.

II.

Dicam autem ordine simplici & in Scholis recepto perspicuè, & primò quidem quoad originem vocis *Isidorus in orig.* Hortum inde deducit quod semper aliquid ibi oriatur. Forsan ex illo Festi occasione sumptâ, quod mox infra referam. Unde Bertachinus & alii Itali scribunt sine aspiratione Ortus non Hortus, & Ortensius non Hortensius Feudistæ veteres. Quod non placet Martinio, qui mavult deducere à Græco ὄρχος, quod vocabulum plantarum ordinem, item locum septum munitumque atque adeo hortum ipsum notet: Nihil enim aliud esse hortum, quàm locum septum ad plantas alendas & custodiendas, *conf. Geislerum d. tr. cap. 1.*

III.

Quoad homonymiam notant nonnulli, horti vocabulo per comparationem notari etiam alias res amœnas vel gratas. Sic Festus tradit, Hortũ apud antiquos dictum fuisse omnem villã, quod ibi, qui arma gerere possent, orirentur. Consentit idem de LL. 12. Tabb. tradendo *Plinius lib. 19. c. 4.* ubi testatur in LL. 12. Tabb. nusquam nominari villam, sed semper in significatione ea usurpari Hortum, in Horti verò

He-

Heredium, *conf. Iac. Goth. ad ll. 12. Tabb. in prob. ad tab. 8. p. 134.*

IV.

Quoad Synonyma: censet *Geislerus d. cap. 1.* Hortum sylvam cæduam appellari *in l. fructus 45. ff. de usur. l. velut. 6. §. 1. de S. R. P.* Enimverò vir doctus non cogitavit sylvam cæduam in jure hortis passim opponi: ut cum quæritur, an ex sylva pedamenta vineis sumere liceat. *l. ex sylva. 10. ff. de usufr.* Et sic in *dd. ll.* verba non synonymicè, sed distinctè accipienda erunt. Sed & definitionum rerum istarum diversitas distantiam & differentiam definitorum insignem ostendit: ut enim sylva generaliter accepta & lucum & nemus & saltum & sylvam glandariam sive glandiferam & cæduam complectitur: ita sylva cædua in specia sumpta, ea est, quæ in hoc habetur, ut cædatur, & succisa ex stirpibus radicibusque repullulet ac renascatur. *Cæddaus in l. sylva cædua. 30. de V. S. n. 3. f. & n. 4.*

V.

Quæstio hîc moveri posset; An appellatione domûs veniat etiam hortus? & negatur, quia domus & hortus passim sibi opponuntur ut diversa. Subjicit *Felinus d. n. 22.* Baldum in quodam suo consilio distinguere, utrum hortus paratus sit causâ domûs, ut tunc appellatione domûs veniat & hortus, *per l. prædiis. 91. §. Qui domum 5. de leg. 3.* secus, si hortus non sit paratus causâ domus, *l. olympico. ult. de S. V. P.* & subdere, quòd hortus tum dicatur paratus causâ domûs, quando voluptatis causâ paratus est,

 vel

vel est pedissequus domûs. Ego eam sententiam in consiliis Baldi non invenio; sed istam *1.consil.378. incip.sequitur aliud instrumentum.n.3.* quod intersit, an hortus consideretur in se, an extrinsecè. In se non venire appellatione domûs, cùm proprium habeat corpus ac peculiarem substantiam atque definitionem: quando autem horti ædibus adjuncti dicantur, venire appellatione domûs, ut *in l. Olympico.ult. de S.V.P.l.prædiis.91.§.pen. & ult.de leg.3.* tum id fieri per accessionem extrinsecam. Ita Baldus *d.loc.* Addit etiam alias exceptiones à regula negativa *Cæpolla d. cap.76.n. 2.* nempe (1) si hortus sit emptus uno pretio cum domo. (2) Si paratus sit (sic enim omninò legendum; non negativè) aut deputatus ad usum domûs. Unde concessâ, venditâ aut legatâ domo venit etiam hortus contiguus, tanquam accessorius ad domum, sive tanquam de pertinentiis domûs; & concessâ domo & castro in feudum, videbitur etiam concessus hortus ibi contiguus; accessorium enim sequitur principale. *Besold. thes. pract.voc.Hauß.p.368.*

VI.

Quoad paronyma dicitur ab horto Hortulanus, qui Græcis dicitur κηπωρὸς; *Vossius* tamen putat voc. Hortulanus sequioris esse sæculi. *de vit.serm. lib. 3. cap. 14. pag. 466. V. Nov. 64. de Hortulanis Constantinopolitanæ civitatis.conf. Ritterhus. in Nov. part.3.cap.14.* Urbs enim Constantinopolitana ad partes

tes

tes continentis amplissimos & splendidissimos hortos habuit, quos cives locabant certâ mercede conductoribus hortulanis. *V. M. Stephanum in Comm. ad d. Nov. 64.*

VII.

Describi potest hortus in genere, quod sit locus septus in quo plantæ, hoc est, arbores & olera oriuntur, aluntur, & custodiuntur. Aliter & ad unam tantum speciem accommodatione factâ definit Felinus *d. n. 22.* Quod sit locus sine reditu, factus ad amœnitatem, & dicatur prædium urbanum; Sed hæc definitio propter nimiam restrictionem tolerari non potest.

VIII.

Dividitur autem hortus (1) ab objecti sive materiæ diversitate. Alius dicitur pomarium; alius viridarium, solius voluptatis causâ exstructum. *l. si cujus. 13. § fructuarius. 4. de usufr.* alius est hortus olitorius, *l. 198. de V. S.* Kraut-Garten / *d. l. 13. §. 4. de usufr.* alius vinearius, ein Wein-Garten: Dicitur vinetum, *§. 3. vers. Manifestus. I. de obl. quæ ex del.* prout olivetum, quod olivas continet. *d. §. 3. l. arboribus. 58. de contr. empt.* (2) A loco in urbanum & rurestrem. Urbani vel sunt domibus appliciti, *l. uxorem 41. §. 1. de leg. 3.* vel seorsim positi, *l. prædiis. 91. § qui domum. 5. de leg. 3. l. ult. ibi: Hortus juxta domum. de S. V. P.* Rures-

trium alii urbi juncti, *l. Nam quod.4.§.quod si.5.de pen. leg.* id est, vicini sive adjacentes. *V. l. 15.§,14.de damn. infecto.* Alii longius ab urbe remoti, & planè rurestres sunt. De illis accipiendum, quod in *l. præsens 5. de procur.* legitur, præsentem haberi & qui in hortis est. (3) A fine distinguuntur in voluptarios & reditum ferentes, *d. l. 198. de V. S. l. si quis 7. ibi: comprehendat descriptio, quod sit ruris ingenium, quid aut incultum sit, aut colatur, quid in vineis, olivetis, aratoriis, pascuis & sylvis fuerit inventum, quæ etiam gratia & quæ amœnitas sit locorum. C. de bon. proscript.*

IX.

Quoad causam efficientem: Voluptuarios hortos plerumque condebant Magnates: ut C. Crispus Sallustius Historicus, qui cum post perditum patrimonium à C. Julio Cæsare Numidiæ esset præfectus, eâ expilatâ, ditissimus factus, hortos sub Quirinali extra pomœrium, ad Colliniam portam, propè malum punicum, & Tiburti villam emit, atque adeò exornavit, ut in deliciis haberentur: demum à Nerone atq; aliis Impp. ob eorum amœnitatem occuparentur. *Pancirollus 1. var. lect. 54.* Fit eorum hortorum mentio in *l. cùm servus.39.§. si verò Salustianos. 8. de legat. 1.*

X.

Redituarios autem construunt & condunt plerumque inferioris ordinis homines, ut vinitores, olitores.

XI.

Porro ſic conſtituti etiam horti transferuntur ad alios vel ratione dominii vel ratione uſus: Utrumque per actus inter vivos vel mortis cauſa. Inter vivos transfertur dominium hortorum v. g. Emptione venditione. *l. arboribus. 58. ibi: contemplatione arborum hortus comparatur. de Contr.empt.* Per actum mortis cauſa tum demum hortus transfertur & acquiritur, ſi ejus expreſſa vel implicita fiat mentio. V. e. 5. in fin. & ſeq. 32.

XII.

Quâ occaſione quæri poteſt (1) an hortis inſtructis filio legatis, & argento muliebri filiæ legato, filiæ etiam debeatur id argentum muliebre, quod mater in hortis habuit, ut ibi eò inſtructior eſſet? ℞. *aff. per l. 12. §. ult. de inſtr. vel inſtr. legat.* (2) An hortis inſtructis legatis contineantur etiam vina, quæ teſtator ibi habuit, ut eſſet inſtructior? ℞. aff. licet aliud ſit, ſi horrea ibi habuit, unde inſtruebatur, vel in urbe vel in aliis prædiis. *d. l. 12. §. 39.*

XIII.

Materia hortorum in qua, præprimis ſunt agri, vel fundi ſive ruri ſive in urbe poſiti: non autem ædificia: Vetitum enim eſt, ædes diruere, & hortos inde exſtruere, *l. Senatus. 52. de contrah. empt. l. an in totum. 3. C. de ædif. priv. l. ſiquis poſt hanc legem. 6. C. eodem.* ut ex ea colligit *Capolla d. cap. 76. n. 6.* Ruinis namque

ædium

ædium civitas deformari non debet. Et licet fortè domus aliquo casu, puta incendio, ruinâ, vel hostium occupatione destructa fuerit, non tamen facilè permittendum, ut ex area hortus, vel viridarium fiat. Ex eadem lege taxandi veniunt, qui sylvas pretiosas, & eximiis arboribus excultas diruunt, ut hortos labyrintheos exstruant, nulli usui futuros, nisi voluptati errantium mox perituræ. Qua de re inter duos Comites de feudi successione inter se aliàs contendentes, litem in summa quadam curia nunc verti audivi. Excisio sylvarum damnosa locum facit mandatis sine clausula.

XIV.

Materia circa quam distincta. Nam ut horti voluptuarii non usque respiciunt fruges: ita cæteri imprimis hanc considerationem continent. Etenim voluptuariis hortis ad usum oculorum sufficiunt viridaria & loca gestationi vel deambulationi aptata, *l. 13. §. 4. de usufr.* quibus usibus arbores etiam infructuosæ sufficiunt. Arboribus non frugiferis adnumerantur cupressi, ex quibus etiam amœnitas aliqua præstatur. *l. competit. 16. §. si quis vi. 1. Quod vi aut clam. l. 45. §. conductor. 13. de Iur. Fisci.* Item quercus & fagi. *Carpz. 2. qq. crimin. 83. n. 12. & seqq.*

XV.

Ex adverso Horti usuales arbores infructuosas dejiciunt, & ad olitorios usus respiciunt, vel alios,

qui

qui ad reditum ſpectant. *d.l.13. §.4.* Pomarium imprimis conficitur ex frugiferis arboribus, quales ſunt quodlibet pomi genus ferentes *l. qui fundum. 205. de V. S.*

XVI.

Vinea conſtat ex vitibus, *l.3. arb. furt. caſ. l.1. §.3. de arb. cæd.* Hæ arboribus etiam & maximè ulmis maritantur. *l.3. §. Item videamus, 4. uti poſſid.*

XVII.

In viridariis maximè conſpiciuntur, flores, hederæ, frutices, arundines, pali, & quæcunque aliàs arboribus ſolent annumerari. *l.3. §.1, arb. furt. caſ. conf. Magnific. Dn.* TABOREM Patronum meum ſummè colendum in *racem. crim. ad tit. ff. arb. furt. caſ. 8. 9. & ſeqq.*

XVIII.

Habebant in hortis etiam ſpæriſteria & hypocauſta, *l. ſi quis 16. Mandati.* Ubi per ſpæriſterium innuitur tum in genere locus rotundus, in quo exercitabantur: tum in ſpecie locus, ubi pilâ ludebant: σφαιρίζω enim eſt pilâ ſive ſphærâ ludo, inquit *Pancilcirollus lib.1. var. lect. cap. 56.*

XIX.

Habebant etiam ædes in quibus habitarent. *l. lex Cornelia 5. §. Quid ſi quis. 3. de injur. d. l. Præſens*

5.de Procurat. Ac porrò etiam penum. *l. Nam quod. 4. §. quod si urbana 5. de penu legata*, quâ utebantur, qui æstivo tempore in hortos secederent. *d. l. 16. Mandati*, an verò ibi etiam adeundi sint? *V. l. si quidem. 1. §. adeundi 9. Quando appellandum sit.*

XX.

In hortis domui proximis habebant cænacula, id est, diætas, quæ plerumque ædificabantur juxta hortum, in quibus cœnebatur ad umbram. *Cujac. in l. olympico ult. pr. de S. P. V.*

XXI.

Denique in hortis considerandus est & aditus. De quo notandum (1) si hortus conjunctus duabus domibus habeat aditum ex utraque domo, quod tum censeatur esse communis, adeoque venditâ unâ domo, etiam pars horti in venditionem veniat: uti post Dynum consuluit *Ph. Decius. 1. consil. 109. Incip. Pro tenui. Alexand. 4. consil. 26.* (2) Si quis legaverit alicui habitationem domûs, per quam ad hortum contiguum aditus sit, quod legatarius teneatur heredi aditum ad hortum, per domum legatam præstare. *Capolla d. cap. 76. n. 6.*

XXII.

Quod formam hortorum attinet, ea pro diverso utentium fine & usu varia est, in genere hoc dicere, quantum ad effectum juris attinet, debemus aut

pos-

possumus. (1) distinctos fuisse hortos per jugera. *l. Si servum. 4. §. un. vers. sed non solùm. de act. E. V.* per arbores & vites. *l. Forma. 4. pr. de Censibus.* (2) Quomodo autem & voluptuarii & redituarii utiliter institui debeant, exponit *Petrus Laurenbergius in Cultura Horti. Baron. Bacon. (Verulamius) in Serm. fidelibus. cap. 44.* Fortenbach in Kupffer-Stücken.

XXIII.

Ratione finis, constituuntur horti vel ad voluptatem tantùm, vel ad reditum augendum. *d. l. 13. §. 4. de usufr. l. 198. de V. S.* vel ad finem utrumque. Reditus potissimum est vel in vineis, vel in arbustis, (in denen Setzlingen) in olivetis. *d. l. 13. §. Inde est quaesitum 5. vers. & si forte de usufr.* in hortis olitoriis, in den Kraut-Gärten. Hortos ejusmodi fructiferos urbibus maximo emolumento esse ad cibos & obsonia nemo est qui non intelligit. Et propterea in benè constitutis civitatibus summâ cum industriâ solent excoli, in pomæriis & suburbiis. Imò videris multis in locis arbores frugiferas extra mœnia quoque in campis apertis plantari. In montibus Genevensium sylvas castanearum offendes, in Palatinatu inferiori & alibi magnam copiam amygdalarum, nucum, vinearum &c. Et certè laudabilis totique universitati proficuus mos in quibusdam locis Ducatûs Würtembergici introductus est, quod quilibet post receptionem in subditum arborem frugiferam in loco quodam communi plantare teneatur, daß er muß auf

die Allmandt einen fruchtbaren Baum setzen lassen. *Speidel. in Not. Polit. verbo* Garten. Argentinæ Hortulani habent peculiarem tribum, die Gärtner-Zunfft.

XXIV.

Porrò horti magni reditûs, vinearii fortè vel etiam olitorii, pro prædiis rusticis reputantur. Horti verò qui in ædificiis constituti sunt, quippè voluptuarii potissimum, urbanorum appellatiòne continentur. *l. 198. de V. S. Capoll. de S. V. P. rubr. XI.* utrique prærogativam hanc obtinent, ut habeant jus, quod nostris dicitur, Das Garten-Recht/ h. e. pastura sit ibi prohibita, & eos sepimento claudere liceat. *Speidel. d. loc. in fine.*

XXV.

Voluptuariorum fines describit Ulpianus in *d. l. si cujus 13. §. fructuarius 4. vers. Et si forte voluptuarium fuerit prædium. de usufr.* quod pertineat ad usum vel visùs sive aspectûs, vel equitatûs, vel deambulationis: vel omnium simul. Visui & aspectui consulunt viridaria, *d. l. 13. §. 4.* h. e. loca virentibus herbis, graminibus, arbustis, vinetis, consita, ut explicat *Brisson. lib. 19. de V. S.* Toti corpori motiones per vectionem & deambulationem pedibus factam. Equo vehimur aut solo aut in curru vel in lectica. Omnem hanc motionem sive exercitationem corporis nonnulli vocabulo gestationis comprehendi putant. At *Pancirollus 1. var. lect. cap. 55. vers.*

verſ. Budæus, ipſum locum in quo veteres aut ſellâ geſtabantur, aut equo vehebantur, voce geſtationis intelligi putat. Verùm id vix patitur vel ipſe textus ab utroque allegatus: *l. Qui Sella. 7. de S. P. R.* ubi dicitur: *Eum, qui ſellâ aut lecticâ vehitur, ire, non agere.* Ergò ſellâ aut lecticâ vehi potius ad commeationem & ambulationem videtur referri. *l. inter actum 12. d. t. l. plenum 12. §. 1. de uſu & habit.* ubi uſuarius fundi etiam deambulandi & geſtandi jus habere dicitur. Nedum ratio recti ſermonis: Geſtatio enim eſt actio, locus autem ſubjectum in quo actus exercetur. Niſi metonymiam ſubjecti pro adjuncto inducere hic velimus.

XXVI.

Et hæc quidem de Horti conſtitutione, differentiis & fine. Ad conſervationem horti pertinet (1) reſtauratio agri, *l. 1. §. ult. ibi: ſi oliveta rejecta reſtauraverit de impens. in res dot. fact. l. 1. ibi: quod eorum labore vel olivetis eſt inſitum, vel vinetis. C. de Mancipiis & Colonis patrimonial. XI. 62.* (2) Propagatio ſpecierum. *l. 3. ibi: vel ſi vites propagaverit. d. tit. de Imp. in res dot. fact.* (3) Curatio arborum aliarumque plantarum. *d. l. 3. ibi: ſi arbores curaverit. de impens. in res dot. fact. conf. P. Laurenbergium in Horticultura. Baron. Bacon. in ſermon. fidel. cap. 44.* (4) Seminariorum conſtitutio. *d. l. 3. ibi: vel ſeminaria pro utilita. agri fecerit. de Imp. in res dot. fact. V. Catonem & Columell. de Re Ruſtica.* (5) Aliquando etiam opus eſt

fuccifione, v. g. oliveti, ut novellum reponatur. *l.vir in fundo dotali 8.de fundo dotali.*

XXVII.

Ad culturam hortorum omninò requiruntur impenfæ quæ horto jam pofito neceffariis annumerantur, *l.1.§.ult.ibi: fi oliveta rejecta reftauraverit.l.3.ibi: vel fi vites propagaverit, vel arbores curaverit, vel feminaria pro utilitate agri fecerit; neceffarias impenfas feciffe videbitur. de Imp.in res dot.fact.* Unde fequitur eum qui de hereditate participare velit, etiam fumtus in ejus confervationem factos refundere teneri.

XXVIII.

Si fepimentum fit commune, illudq; ruptum fuerit, vicinus autem pro parte id reficere nolit, ad refectionẽ illius implorato Judicis officio cogi poteft. Si alter vicinorum folus impenfas in refectionem fecerit, portio vicini vel judicio negotiorum geftorum vel communi dividundo repeti poteft. *V. l.4.C.com. div. l.4. §.3.feq. ff. eod.* Præterea ad reftitutionem damni tenebitur vicinus, fi quod impeditâ vel dilatâ culpâ ejus refectione per incurfum pecudum, vel alio modo alterius prædio illatum fuerit.

XXIX.

Effectus fpectari poteft in commodis & oneribus. Quoad commoda, effectus primus eft, ut quia

hortus

hortus benè constitutus & cultus, varios producit fructus, vina, oleas, olera, poma, flores. *l. plenum 12. §. 1. de usu & habit.* his omnibus non tantùm dominus rei, sed etiam usufructuarius, imò & usuarius uti possit.

XXX.

Quod si quis sit horti dominus, poterit in eo exstruere, quæ ad ejus conservationem pertinent, dum alteri non noceant, vel præjudicent. Ac primò quidem januam; quam quis etiam vicino ringente, anticam atq; posticam exstruere potest. *l. ult. §. un. de S. V. P.* (2) Horreum, colligendorum fructuum causâ. (3) Ædiculam cœnatoriam, Ein Garten-Häußigen.

XXXI.

Quoad translationem & interpretationem: Hortus non venit in venditione domûs, cui conjunctus est; nisi sit aditus ex domo in eum. *l. olympico. ult. de S. V. P.* multò minus venit in legato habitationis domûs, etiamsi per hortum sit aditus ad domum: *uti censuerunt Bald. in d. l. ult.* nisi indicetur & probetur, hortum esse de domo, & domui accedere. *Capolla d. l. conf. l. prædiis 91. §. Balneas 4. & §. qui domum. 5. de legat. 3.*

XXXII.

Quoad onera quæritur, an de Hortis, id est,

eorum fructibus decimæ præstandæ sint? *Capolla d. cap. 76. n. 10.* quæstionem hanc quidem etiam proponit, sed non resolvit, verum lectorem *ad cap. Ex parte. 10. Ext. de decimis* remittit. Ubi hoc dici videtur, Cistercienses & Templarios & Hospitalarios Episcopis ex privilegio Pontificum de fructibus, quos suis manibus vel sumptibus coluerunt, non præstare. Id cæteris clericis tantùm concessum esse (1) in novalibus suis, quæ propriis manibus & sumptibus excolunt: (2) de nutrimentis animalium (sive de fructibus quibus opus habent ad nutrienda animalia) & (3) de hortis suis. Unde sequitur, Laicos omnes etiam de hortis suis sive frugibus in his natis juxta sententiam Juris Canonici decimas Ecclesiæ persolvere teneri, prout disertè statuit Wärndle *lib. 2.* vom Zehend-Recht *cap. 1.* Daß man auch von Kraut/ Rüben/ Hanff/ Zwybel und dergleichen Garten-Gewächs Zehend geben müsse. *conf. Speidel. specul. Notab. verb.* Zehend.

XXXIII.

Quæri hîc potest; an servitus realis horto imponi possit, ut pomum decerpere, item spatiari aut cœnare liceat? ℞. neg. *per l. ut pomum 8. ff. de servit.* quia hæc utilitas & commoditas personæ est, non prædii. *Gothofr. ibid.*

XXXIV.

Contraria sunt constitutioni hortorum & hortis,

tis, desertio & omissio culturæ *l. Emphyteuticarius. 1. ibi: quos nullis culturis erudierunt. C. de Mancipiis & colonis XI.62.* Item conversio in usum alium, v. g. pratum, quod Domino quidem licet, per *l. apud Trebatium 3. §. si vicinus 2. de aq. & aq. pluv. arc. act.* ubi pro voce *arvum* vulgata legit *hortum. Goth. in not. ibid. n. 88.* Sed non usufructuario, cùm is formam, licet in melius, immutare nequeat, v. g. viridarium in pratum. *l. si cujus 13. §. sed si adium 7. ibi: vel viridaria ad alium modum convertere, excolere enim, quod invenit, potest, qualitate adium non immutatâ; de usufr. & aliud est acceptum tueri, aliud novum facere. l. 44. eod.*

XXXV.

Tandem quæritur: An quis possit in muro suo fenestram facere, ut in hortum tuum prospiciat? ℞. Posse. *l. altius. 8 C. de servitut.* Sed licet tibi contra ædificare, & lumina obscurare, dum non ædifices contra veterem formam consuetudine firmatam, *l. si quas. 1. C. de servitut. & aquâ. ubi v. Ant. de Padilla in comment. p. 269. & seqq.* & spatium, *à l. ult. fin. reg.* præscriptum observes. *Capolla d. c. 76. n. 9.* vel à vicino servitutem hanc comparare, ne fenestram in muro suo hoc fine faciat. *Bald. in d. l. altius. Capolla, d. cap. 76. n. 7.*

Decas Corollariorum.

I.

Jus naturæ est immutabile.

II.

Tutor suspectus & remotus, siquidem ob dolum famosus est; si ob culpam, non æquè.

III.

Pupillus sine Tutoris authoritate contrahens ne naturaliter quidem obligatur.

IV.

Creditor qui pignus vendidit, evictionis nomine non tenetur.

V.

In nuptiis injustis nec dotis nec donationis exactioni locus est.